

## Tetraplodon pallidus n. sp.

Descripsit

I. Hagen.

Cæspites compacti, inferne fusciscentes vel decolorati, superne virides, diametro 2—3 mm. metientes. Planta 1 cm. alta, superne densifolia; folia erecto-patentia, ca. 3.3 mm. longa, ca. 1 mm. lata, late elliptica, in cuspidem subpiliformem flexuosam patulam attenuata, late canaliculata, *integra*, laxè texta; costa in parte cuspidis inferiori evanida. Inflorescentia autoica; flores masculi in ramis satis longis dissitifoliis capituliformes. Seta 1 cm. longa, magis minusve saturate *aurantia*, nitida, stricta vel curvula, varie torta. Capsula erecta, cum collo 2.5 mm. longa, 1 mm. crassa, elliptico-obconica, sicca *sub ore dilatato subrecurvo constricta*, *luteo-aurantia*, *collo ætate fusciscente*; collum ca. 1 mm. longum, *sporogonio brevius, eidem æquilatum vel paullo angustius*, in setam attenuatum, *stomatium duabus seriebus* superne instructum, e cellulis breviter rectangularibus leptodermibus conflatum; sporogonium ca. 1.5 mm. longum, e cellulis satis incrassatis inferne elongatis, superne *in multis seriebus transverse breviter rectangularibus* exstructum; sacculus sporiferus *sporogonio dimidio brevior*; columella superne dilatata in orificio capsulæ hemisphærice prominens vel raro brevissime emergens. Annulus spurius, ut videtur, simplex. Dentes peristomii 0.3 mm. longi, saturate aurantii, infra orificium capsulæ inserti, vegeti e basi erecta incurvi, sicci quaternatim exothecio laxè adjacentes, papillosi. Operculum, ut videtur, hemisphæricum

obtuse mamillatum. Calyptra campanulato-cucullata, infra medium sporogonium producta, pallida, summo apice fuscescens. Spori 0.007—0.010 mm., pallide lutescentes, læves.

Capsulæ ineunte augusto lectæ deoperculatae erant et sporis pæne vacuæ, (una solum calyptrigera visa), quare fructus medio julio maturescere verisimile est.


Species peculiaris a congeneribus notis supra cursive impressis facillime distingvenda, ad terram magis minusve humidam alpium Scandinaviæ materias animales vix continentem viget. Primus  $10/8$  1887 in alpe *Galdhø* paroeciæ *Lom* altit. 1500 m. cæspiti *Bryi* una cum *T. mnioides* inspersum legi, perparce tamen ideoque ad diem prætervisum. Patriam propriam autem in regionibus alpinis circum alpes *Sulitjelma* Scandinaviæ arcticæ habere videtur, quarum in lateribus et Norvegico et Suecico hac æstate pluribus locis lectus. Socio amico *Conradi*  $6/8$  1893 in vicinitate fodinarum *Ny Sulitjelma* duobus locis legi, scilicet infra ædes operarum ad ripam udam rivuli *Weberæ commutatae* parce inspersum, et ad terram glareosam nudam planitiei contiguæ, utroque loco altit. ca. 580 m.  $10/8$  iterum obvius fuit, et frutice *Betulae nanæ* quidem obtectus socia *Myurella julacea* haud procul a loco ulteriori. In latere Suecico earundem alpium amic. *E. Nyman* iisdem diebus ( $5/8$ — $15/8$ ) pluribus locis legit mecumque specimina pulchra benigne communicavit.

Nidarosia, die 10 novembris 1893.

Rids angivende udbredelse i den kontinentale arktiske floras

det indre af Nordnøre med tilstødende dele af Orkedals og N. Gudbrandsdals fegderier efter undersøgelser i 1890, 1892 og 1893.

kontinentale arktiske plantekolonier.



De Røde Plantekoloniers udbredelse i det indre af Nordnøre med tilstødende fegderier. I.

del iudei et Aordmore med

